IN SACRA POMPEIORVM

NONNVLLA

COMMENTARIVM VI

IN SACRA POMPEIORVM

NONNVLLA

COMMENTARIVM VI

RAYMVNDI GVARINII,

SOCIETATIS BORBONICAE XXVIR.

NEAPOLI

TYPIS SOCIETAT PHILOMATICAE.

1823.

Ne libri molem; potius metire laborem,
Qualesque in modico concilientur opes.

HIERONYMO. RVFFO. MARCHIONI. V. EXCELL.
A. CONSIL. SANCTIORIB. DOMVS. AVG.
FERDINANDI. I. V. S. R.
ET. AD. ORD. EQ.
RAYM. GVARINIVS. S. P

Commentariolum in Sacra *quàedam, Pompeianorum propria, tribus de caussis TIBI sistere, in mentem venit,* RUFFE, *Marchio Excell., si forte id munusculi qualecunque non omnino aspernandum duxeris.* 1. *ut tuae in me benevolae voluntatis, meique invicem in TE grati animi, argumentum aliquod publicum posthac extaret.* 2. *ut ne parum civiliter cum Commentariolo ipso actum videretur, si de Regii Musei penu literata amplissima profectum, veluti evagari contingeret extra Domum Augustam, cui TV*

tanta cum fidei, prudentiaeque laude praees. 3. *Fatendum denique, quod res est. Tuam prope rem agi, cum de Pompeianis agitur. Nam qualis ad κειμελια huiusmodi in primis ornanda, pro munere tuo, opera; qualesque mihi iam diu incenso ad id ignes, favore tuo, subieceris, civibus iuxta, externisque gentibus notum. Et curarum equidem tuarum fructus iam vel nunc uberrimus videri queat. Nam praeter nova quaedam in* Pompeiorum sacris *sancita contra vulgatas ad id temporis doctorum opiniones, Fastis Consularibus lucis usura non poenitenda accessit. Horum quippe ope, pro vice prima in medium prodeunt Consules duo, de quibus altum hactenus in Fastis silentium. Deinde Consulum item duorum vera nomina, abs magno olim Norisio detecta, ita nunc Marmorum nostrorum beneficio solide confirmata recurrunt, ut nullus deinceps eruditis de iisdem dubitandi locus supersit.*

Reliquum videretur, ut de animi, mentisque tuae dotibus splendidissimis dicerem, quibus tantopere REGI *nostro sapientissimo probatum TE novimus. Verum haec prosequantur hi, quibus ea prosequi, nullus periculi metus, ut officium in assentationis, gratiaeque emercandae studium trahatur. Vale, Domus Augustae, literarumque bono,*

vivas et Nestoris annos,

meque tui observantissimum fove.

ERR.	COR.
P. 9. v. 2. *adssurrexisse.*	*adsurrexisse*
P. 53. v. 13. *agis.*	*magis.*

IN SACRA POMPEIANA NONNVLLA COMMENTARIVM VI RAYMVNDI GVARINII ACADEM. BORBONICAE XXVIR.

POMPEIANI marmoris cuiusdam siglis insolentibus quadriennium iam incitatus, incensusque, iisdem in enodandis operae pretium non leve statim collocandum duxi: et quamvis non statim in omnibus collineasse contigerit, quod fateri minime pudet; in exemplorum tamen generis huius non infrequentia sola, sed solitudine mera, satis visum eruditis, auctori opus, non auctorem operi defuisse suo. Verum Musei inter Borbonici amplissimi lapides literatos detrito deinde, extritoque, eosque callente, non oculo quidem, qualis τῶν κριτικοτατῶν, sed gerulorum certe manu tractanti, alia porro, atque alia passim se ultro saxa dedere, integra partim, partim ad calamitatem usque mu-

tila, ac discerpta, siglisque iisdem insignita, quae in unum coacta et iusti voluminis formam, et rei totius notitiam longe accuratiorem praebere valeant, quod, paucis ante praenotatis, faciundum curabo.

1. Siglae, de quibus quaerere propositum est, hae sunt: D. V. V. A. S. P. P., quarum, si Pompeiorum titulos excipias, frustra alibi, quod hactenus sciam, vestigia requiras.

2. Pompeiani tituli, quibus siglae hae inhaerent, de *Sacrorum*, quae vocant, *Familia* omnes sunt.

3. Titulorum eorumdem aetas nec alterum ante Christi nativitatem annum transcendit; nec ultra unum et sexagesimum a Christo nato protenditur. Posterioris huius caussa, Vesuviana procul dubio conflagratio, quae paucis post annis Pompeios in primis, Herculanumque delevit: prius, ut reor, satis innuit, siglas nostras ad rem Augustaeam respicere.

4. Marmora universa siglis iisdem instructa, tabularum ad instar, extant, quae *votivae* dicebantur, si unum excipias, de quo, loco suo, memorabitur, quod basin refert sane elegantissimam, cui statuam olim insedisse, vix dubi-

tandum videtur. Age nunc rem omnem ordine adgrediamur.

I.

. . . . . ADEPTVS
. . . . . SIVS. FELICIO
. . . M. EPIDIO. FLACCO
QVINQ. M. HOLCONIO. MACRO
PRAEF. I. D. L. LICINIO. C. ADIO
VIR. V. A. S. P. PROC

Ministri duo, nî fallor, *Adeptus*, cuius nomen invidet nobis lacuna, et *Felicio*, cui facile *Numisii* nomen adhaereat. Si coniecturae fides, duo hi *Sacrorum ministri*, aut Liberti, aut Libertini etiam generis homines, quod infra clarius patebit. *Praefecti iure dicundo* M. Epidius Flaccus, et M. Holconius Macer. Praefulget Holconio Epidius non ea de caussa, quod is quintum Praefectus processit, quod olim imprudenti excidit, (1) sed eo potius, quod

(1) *In Veter. monum. Comment. III. p.*64.

primo loco creatus. Itane, inquis, Epidius *quintum* Praefectus, τῷ QVINQ. scilicet pro *quinquies* usurpato? ita sane, aio. Cur non *Quinquennalem*, reponis, olfacias? Nimirum Quinquennales praeire Praefectis I. D. nusquam memini: et το QVINQ. praeterea in re simili infra occurret in eam plane significationem, quam eidem nunc subiecimus.

Viri V. A. S. item duo, L. nempe Licinius, et C. Adius, ex quo *Cadium Rufum* Taciti (1) facile inducar, ut in C. Adium Rufum distrahatur. Sed eccur hi, duo cum sint, VIR. απλως nuncupati, non D. V. vel II. VIR. ut in caeteris fere generis huius? nil istuc mali: nam Licinii, et Adii nominibus recitatis, nullus de numero dubitationi locus. Idem factum infra videbimus in marmore simili nuper Pompeis effosso.

Singularis marmori huic gratia habenda, quod P. postremum de initialium nostrarum septenario exhibuit literis quatuor, hoc est PROC: inde enim certo colligi datur, singu-

(1) *Ann. L. XII.*

lariam hanc nostram P; quae caeterarum agmen claudit, intra τὸ *procurandi* fines necessario concludi.

De marmoris aetate nil ausim certi praestare: sed caeteris, quae sequuntur, praeire tempore, libenter crediderim ex eo, quod P. illud postremum reddiderit PROC: vocum quippe compendia posteriora arbitror rebus ante notis, explicatisque, atque usu communi vulgatis; non ex adverso.

2.

MESSIVS. ARRIVS
SILENVS *Ant. Chr. nat. 3.*
M. DECIDIVS. M. M. L.
*apol*AVSTVS. VNG
MIN. AVGVSTI
M. NVMISTRIO. FRONTONE
Q. COTRIO. Q. F. D. V. I. D
M. SERVILIO. L. AELIO
LAMIA. COS

Annus tertius est ante aer. Christianam. *Ministri* itaque *Augusti* ad *Augustales* minime referendi, quorum Sacerdotium a Tiberio institutum novimus, Augusto iam defuncto. Ministri quatuor, quorum postremus duorum Marcorum Libertus, idemque *Unguentarius*.

3.

A. VEIVS. PHYLAX V.C.A.725.
M. POPIDIVS. MOSCHVS *Ant.Chr.*2.
T. MESCINIVS. AMPHIO
PRIMVS. ARRVNTI. M. S.
MIN. AVG. EX. D. D. IVSSV
M. HOLCONI. RVFI. IV
A. CLODI. FLACCI. III
D. V. I. D
P. CAESETI. POSTVMI
N. TINTIRI. RVFI
d. V. V. A. S. P. P
C. *caes*ARE. XIII COS
M. PLAVTIO. SYLVANO

Octavii Consulatus XIII. cum M. Plautio Sylvâno incidit in annum Urbis conditae 725, adeoque biennio Christum natum antevertit.

MIN. AVG. *Ministri Augusti*, quandoquidem ita sine compendio in Pompeianis lapidibus seorsum offendimus. Quidnam rei nunc sint hi *Ministri Augusti*, videndum.

Augusto adhuc in vivis agenti Templa, Sacerdotia, Ministeria addicta, nemo unus ignorat (1). Notissimum hanc in rem illud Horatii (2).

Praesenti tibi maturos largimur honores,
Iurandasque tuum per nomen ponimus Aras,

Ministri itaque *Augusti* ii sine dubio, qui Augusti sacris ministrabant. Iam vero qui ministrabant sacris, hos γένικῶς Ministrorum nomine donatos novimus, Popasque ipsos adeo ἁπλῶς *Ministros* fuisse nuncupatos; ex quo nemini dubium, Ministrorum officium servile penitus extitisse. Sed non inde tamen sine restrictione dandum Fabrettio (3), Hagenbuchio (4)

(1) *Tacit. Ann. L.* 1.
(2) *Epist.* 1. *L.* 11. *Vid. Virgil. Ecl.* 2.
(3) *Inscr. Dom. p.* 464. 6. *L.*
(4) *Ep. Epigr. p.* 202.

et Marinio (1), Ministros in universum Servos esse oportuisse, nec adssurrexisse unquam ultra nexum servilem. Fabrettius, qui opinionem hanc nfordicus de more tuetur, unico eam inaedificat Lapidi Gruteriano (2), ubi post sena *Magistrorum* nomina, *Ministri* quatuor recensentur, *servi* ad unum omnes. Atqui si mos iste paullum invalescat canonum in re Epigraphica cudendorum, verendum, ut hi brevi res ipsas sint numero exaequaturi, de quibus compendio moneri nos, ipsorum ope, necesse sit. Opinionem certe hanc convellunt radicitus Pompeiana haec nostra saxa, in quibus passim cum Servis obviant de Ministrorum grege homines trinomii, quos aut Libertini generis, aut Libertos saltem, aequum sit cogitare. Neque porro timendum, ut servile ministerium per liberos homines exercitum hoc ipso de minus honesta ad honestiorem veluti Tribum transferatur. Nam si ex officio aestimare homines propositum est, servile quidem ministerium homini libero fraudi esto:

---

(1) *Oss. Tav. XXXII. p.* 416. *not.* 324.
(2) *Pag.* 189. *n.* 4.

sed nulla interim lege vetitum, sua utentem libertate minus liberali se mancipare ministerio, sive id assentandi studium, ut in re nostra videtur, suadeat, sive id egestas magistra potius extorqueat. Nec Taciti locus omittendus hoc loco, qui rem hanc propius attinere videtur; quo nempe crimini olim datum Falanio, quod inter cultores Augusti privatos, Cassium quemdam mimum, corpore infamem, adscivisset (1). Quid plura? Ecce tibi in Pompeiano marmore *Ministri Augusti* quatuor, quorum primi tres trinomii omnes, 1. *A. Veius Phylax.* 2. *M. Popidius Moschus.* 3. *T. Mescinius Amphio.* Adeo fragile, in talibus ex uno, alterove exemplo canones statuere oecumenicos! Aulus hic Veius Phylax ab A. illo Veio fortasse libertatem fuerit assecutus, quem ciet marmor aliud Pompeianum in haec verba:

A. VEIO. M. F. IIVIR
ITER. QVINQ. TRIB
MILIT. AB. POPVL. EX. D. D

(1) *Ann. L.* 1.

Ministrorum Augusti quartus sine cunctatione *Arruntii M. Servus*. Singulariam M. τὴν διορισικὴν puto Arruntii, qui fortasse *maior* dictus, ut ab Arruntio alio *iuniore* secerneretur. At si quis *Magistrum* mavelit, huic ego minime contradixerim. Iam nunc *Ministros* hosce ipsos *Augusti* propius, ac veluti de facie noscamus, ne de illorum conditione, officioque ambigendi ultra supersit locus. Plane *Ministri* eiusmodi Augustum ita attinebant Pompeis, ut Larino *Martiales*, in Sicilia *Venerei*, quorum hi Veneri, illi Marti erant addicti. Praestat rem omnem a Tullio discere (1): *Martiales quidam Larini appellantur* MINISTRI PVBLICI *Martis*, *atque ei Deo veteribus institutis*, *religionibusque Larinatium* CONSECRATI, *quorum cum satis magnus numerus esset*; *cumque item*, *ut in Sicilia permulti* VENEREI *sunt*, *sic illi Larini in* MARTIS FAMILIA *numerarentur*. Sunt igitur Ministri hi omnes et CONSECRATI, et praeterea de eius Dei FAMILIA, cui inserviebant, adeo-

(1) *Pro Cluent.* §. *XIV.*

que conditione, officiove, vel utroque simul, *Famuli*. At inquies. Ministros huiusmodi praeire IIviris tum Civilibus, tum Sacris, ut in titulis Pompeiorum omnibus cernere est, ecquis in animum induxerit? Ita nempe qui tenebris in luce meridiana inhiant, quaestionesque non ratione, sed affectu magis, praeiudicataque opinione, aestimare consueverunt. A quibus scisciscitari lubet, in quonam Ministri hi nostri Duumviris praeeunt tum Civilibus, tum Sacris? Loci-ne, an officii dignitate? Si de loco mero quaestio sit, proferant, ubinam constitutum de certo iis loco in titulis adsignando, cum Consules ipsi interdum initio, haud raro in medio, saepiuscule in fine inscriptionum consignati occurrant? Si ad dignitatem sermo transferatur, nonne satis fuerat, *Ministros* dixisse? Ipsum per se *Ministri* nomen inferioris ordinis homines in re sacra peragenda vel tironibus praedicat. Additum ad haec, eos et *ex Decurionum decreto*, et *iussu* praeterea D. V. I. D. et IIVIR. V. A. S. suo defungi officio. Nec puto abs titulorum nostrorum auctoribus agi prudentius, consultiusque potuisse, si iam tum tela depellere praecavissent, quae in ipsos olim

forent quidam iacturi; quos ideo falli certum est, quod de Ethnicorum sacris e nostris decernere amant. Nostra quippe sacra (an magis unicum, sanctissimumque SACRVM nostrum omnium?) verbo, factoque Pontificis unius constant: ministrorum opera sacrum ipsum extrinsecus tantum, et ut ita dicam, de longinquo attingit: Contra in Ethnicorum sacris, totius superstitionis refertissimis, Pontificum quidem pars praestantissima, *Ministrorum* opera praecipua. Sed in his morari diutius, et pudet, et taedet. Ad siglas redeo, quarum P. postremam intra *Procuratoriam* familiam contineri, supra certo certius constituimus.

Nec minus certum, ratumque, priores D. V. esse *Duumviros*, quandoquidem in Pompeianis hisce nostris titulis saepiuscule, loco τῦ D. V. occurrit VIR. aut IIVIR sine nucleo. Reliquae sunt igitur mediae V. A. S. P., quibus ita adfici singularias D. V. necesse omnino sit, ut adfici eaedem solent additis I. D. vel Q. Q. vel MONET; ne singula persequar.

Suspicio olim incesserat virum gravissimum, singulariis D. V. V. referri posse *Duumvir. Quinquennales*. Labilem coniecturam arguunt

1. insolens Quinquennalium communio cum IIviris tum I. D. tum V. A. S. in tota hac Pompeianorum de re sacra *οἰκονομία*. 2. Defectus exemplorum in tota antiquitate Quinquennales per D. V. V. exhibentium, quos latere perpetuo compertum est sub vocibus *Quinquen*; *Quinq.*, Q. Q. semel per QQV (1). 3. Tempus Quinquennalitati praefixum, quae ad quinquennium manebat, perpetua *dignitate*, etsi non *iurisdictione*, ut Oliverio placitum (2), qui eam intra anni unius ambitum coercet. Verum in Pompeiorum hisce nostris sacris ab anno Christi 23 ad 34, intercursu videlicet annorum undecim, quaternae occurrunt Duumvirûm nostrorum bigae, cum vix tertiae locus foret, si de Quinquennalibus res esset.

Nunc ad initialium nostrarum vim assequendam semitam monstrat Tacitus (3), de qua viam facere pro viribus conabor. Locus est de

---

(1) *Marm. Pisaur not. XXVIII. p.* 84.

(2) *Marm. Pisaur. not. XXVII. p.* 70. *seqq.*

(3) *Annal. Lib. XVI.*

Capitone Cossutiano Thraseae obiectante, quod sategisset: *principio anni vitare sollemne iusiurandum*; *nuncupationibus votorum non adesse*, *quamvis Quindecimvirali Sacerdotio praeditum*: *numquam pro salute Principis*, *aut caelesti voce immolavisse*. Quamquam de more sollemni *nuncupandi vota pro salute Principis*, caeterisque quae felicitatem eius attinerent, etsi Taciti testimonio destitueremur, res ipsa manifesta adeo per se est in tota antiquitate, Arvaliumque praecipue monumentis, ut qui in eo diutius haereat, cum eo conferri facile queat, qui faces inferat in lucem meridianam. Et quandoquidem de Arvalibus iniecta mentio ἐν παρόδῳ, considerent, quaeso, quibus tantopere incommodant ministri sacrorum Pompeiani, primo loco constituti, quam frequens, splendidusque de his inibi sermo redeat. Initiales itaque D. V. V. *Duumviros* interpretor *Votorum*, seu *Votis*. Ex quo Sacerdotalis IIvir. istorum se prodit dignitas, pro numero duumvirali, municipali tenuitati adcomoda, quae in *Urbe aeterna* Quindecimviralis erat. Hinc τὰ IIIIVIR. A. V. D. I. quae tantum Bimardio, nec sine caussa, facessiere negotii, sic fortasse

ex vero accipienda : IIIvir. *a. Vot. D. Isidis.*

Placet titulum ipsum integrum Lectorum subiicere oculis :

C. IVNIVS. M. F.

IIIVIR. A. V. D. I. IIVIR. NOLAE

IIIVIR. QVINQVENNAL

AR. DE. SVO. FACIVND

Quid mediis nunc, quae supersunt, A. S. P. faciemus ? Olim sic interpretati sumus : *ac sacris Pompeiorum.* Reddi et fortasse queant : *annuis saluti Principis.* Sed quoniam clamant, praefulgentque in toto fere hoc sacrorum apparatu MINISTRI AVGVSTI, placet sub initiali A Augustum potius subolere. Agmen igitur siglarum omne sic explicarim : *Duumviri. votis. Augusto. salvo. publice* (vel si mavis *Pompeis*) *procurandis.*

Paullum nunc, etsi non de via, de temporum tamen ordine, deflectere est animus iter mox resumpturo, quo semel ordine incedere, constitutum est. Nam lapidem alium Pompeianum offendi, qui aetate septem ultra viginti solidos annos hunc anteit, de quo hactenus. Nihil in eo de D. V. V. A. S., quorum lo-

co, Aediles duo cientur: ex quo coniiciendi ansa, ad an. 29. ante Christum natum IIviros nostros Sacerdotio praeditos, nondum processisse, neque fortasse cum his *Ministros Augusti*, quorum vice, in medium se dant *Ministri Fortunae Augusti*, et iidem plus vice simplici deinceps prodituri. Lapis praeterea, hoc quoque se nomine, commendat, quod Cluvii Collegam docet hoc anno, non *Furnium*, ut vulgo in Fastis, sed *P. Clodium*. Eccum ipsum tibi:

4.

MARTIALIS. C. OLLI. PRIMI *Ant. Chr. nat. a.* 29.
M/. SALARIVS. CROCVS
PRIMIGENIVS. C. OLLI. PRIMI
MIN. FORTVNAE. AVG
IVSSV
Q. POSTVMI. MODESTI. C. VIBI. SECVNDI
D. V. I. D
C. MEMMI. IVNIANI. Q. BRVTTI. BALBI. AEDIL.
*cl*VVIO. P. CLODIO. COS

Ministri Fortunae Augusti. Aram ergo, seu Templum *Fortunae Augusti* iam nunc Pompeis stetisse, ius est cogitare. *Ministri* iidem numero tres, quorum primum sibi locum asserit *Martialis*, C. Ollii servus, medium homo trinomius; ultimum *Primigeniius*, C. item Ollii Servus. Non igitur liberi homines tantum a *ministeriis* non arcendi, sed nihil Servis e servitute praeiudicium, quo minus, pro dignitate, locum quisque suum contra ingenuos tueretur, si hi, ingenuitate, aut libertate excepta, nihil in ministerio maius prae se tulissent. Quod si res secus haberet, Manium Salarium Crocum ante alios cieri oportuerat. Tempus iam, temporum ordinem tantisper intermissum resumendi.

5.

T
P. STATILIVS. AGATHO
MINISTER. D. D. *Aer. Chr.*
IMP. CAESARE. IV̄ *a.* 2.
M. SILANO. COS
*no*VATVM. P. ALFENO
P. VINICIO. COS
IVSSV
M. POMPONI. MARCELLI
L. VALERI. FLACCI D. V. I. D
. . LVCRETI . . . L. ORFI. L. F
D. V. V. A. S. P. P

Aedilesne, an potius D. V. V. A. S. post D. V. I. D. desiderantur? De his optarim magis. Nonus Octavii cum M. Silano consulatus incidit in an. V. C. 729, proindeque 25. ante Christum: Alfenus autem cum P. Vinicio Consul processit An. V. C. 755., adeoque altero a Christi nativitate. *Sacrum* igitur, de quo in marmore, novatum post annos viginti sex. Desideratur lin. postrema cum suis siglis. An-

tepenultima in litura est a parte inferiore ita, ut paullo sollertius aciem intendenti perspicua sint *Lucretii*, *Orfiique* nomina. De Gente *Orfia* vide Gruter (1).

6.

*Sex. Ae*LIO
C. SENTIO COS *Aer. Clu. 4.*
M. STAI. RVFI
CN. MELISSAEI. APRI
D. V. I. D. ITER
NOVATVM

De Cn. Melissaeo Apro titulus occurrit Herculanensis huiusmodi :

CN. MELISSAEVS
APER

Et de Liberta eiusdem :

MELISSAEA
CN. L. ASIA

(1) *Pag.* 1106. 4.

Et iterum de Melissaea alia sic :

MELISSAEAE
AMYCES
IVNONI

Iunonem feminis, ut *Genium* viris additum, constat inter eruditos. Nec omittenda Melissaea altera item Herculanensis :

MELISSAEA. SP. F
ASIATICE. VIX
ANNIS. XVIII

7.

M. SITTIVS. M. L
SERAPA
MERC. MAIAE
SACRVM. EX. D. D
IVSSV
P. ROGI. P. F. VARI
M. MELSONI. M. F. ITER
D. V. I. D
N. PACCI. N. F. *chi*LONIS
M. NINNI. M. F. POL*lionis*
D. V. V. A. S. P. P
M. CRASSO. CN. LENTVLO
COS

Aer. Chr. an. 14.

8.

M. SITTIVS. M. L
PAPIA *An. idem.*
*m*ERC. MAIAE
SACRVM. EX. D. D
IVSSV
M. MELSONI. M. F. ITER
P. ROGI. P. F. VARI
D. V. I. D
M. NINNI. M. F. POLLION
N. PACCI. N. F. CHILONIS
d. V. V. A. S. P. P
*M. Cras*SO. CN. LENTVLO
COS

Vix ovum ovo similius. Ad annum eumdem Tabula utraque respicit, Consulumque nomina eodem utrobique ordine consignata. M. Sittius, cui in Tabula priore *Serapae* tribuitur cognomen, in posteriore *Papias* cognominatur. Anne in alterutro suos Scalptor passus est Manes? et fieri hoc poterat: et poterant eiusdem M. Sittii

duo esse Liberti, quorum alteri *Serapae*, alteri *Papiae* inditum cognomen. In Duumvirûm tum I. D., tum Sacerdotalium nominibus consignandis ὑστερον πρωτερον magis notandum, quod ne temere factum cogitemus, monebunt tituli alii Pompeiorum geminati, in quibus eamdem τὴν οἰκονομιαν servatam cernere est. Nodus interim vindice dignus. Eccur in eadem re sacra, modico inter se discrimine, tabulae duplicatae? Mercurio, Maiaeque *sacrum* utrobique: *Ministri* utrimque fere iidem; Duumviri generis utriusque ipsi: annus ipsissimus. Ex hoc posteriori, nî fallor, filus ducendus. Cum enim intra annum eumdem tabella utraque contineatur, palam est, de *Votis extra ordinem* rem esse: nam quae *stata* erant, et *annua*, ea a decedentibus Magistratibus Mense Decembri nuncupata, *solvebantur* anno insequente ab iis, qui excepturi eosdem erant in officio eodem, ac dignitate; adeoque in votis *annuis*, *statisque* non iidem Consules, et Magistratus plane diversi. Quod cum secus factum in titulis Pompeiorum nonnullis votivis, de votis *imperativis*, ut vocant, *indictivisque* cogitandum videtur, quae ab iisdem Duumviris et

nuncupata, et soluta. Sed horum qui locum priorem, pro dignitate, in voti *nuncupatione* sortitus erat, alterum τῆς οἰκονομίας ἕνεκα in voti eiusdem solutione obtinebat: aut ea fortassis de caussa, quod alternis praecerant *sacris*, ut de Consulibus Romae, de Duumviris in Coloniis, Municipiisque, constat inter eruditos.

Sed fuerit quidem, inquies, Ministrorum in votis publice solvendis opera praecipua. Verum ecquid iisdem in nuncupatione votorum, quae ad Magistratus, Principesque Viros pertinebat? Sed votorum ego nuncupationes sollemnes tumultuarias ab iis secernendas, repono, quae per otium, et pacem fiebant. Prioris generis dico, quas de repente, quales in belli vicibus, ab Imperatoribus factas interdum novimus, quas satis fuerat, ab iis palam denuntiari, quorum id iuris erat. Posterioris generis eas dixerim, quae per otium, et pacem a Magistratibus praecipue, Sacerdotibusque fiebant, quas sine Ministrorum grege, caeterisque caeremoniis, ritibusque sacris procedere, piaculum habebatur; deque his votorum nuncupationibus sollemnibus Tabulas nostras Pompeianas esse intelligendas, quousque rima alia patuerit, qua

eadem vota iisdem Diis, Deabusve sacra, cum Consulibus iisdem, iisdem IIviris, tum Civilibus, tum Sacris, ipsissimisque Ministris concilientur.

9.

. . . . .

. . . SITTI. M. S

. . S. SORN. T. S

. . A. VOLVSI. T. S

*minist*RI. MERC. MAI . .

*s*ACR. IVSSV

M. . . .

. . . .

De Marmoris aetate nil certum statuere datur. Hoc loci referri placuit, quod Sittii in eo recurrit memoria. Sacrum *Mercurio*, et *Maiae*. Ministrorum superstitum nomina tria, qui quatuor fuisse videntur. Initiales M. T. nominibus Sittii, Sornii, et Volusii adiacentes, si coniectura stet paullo supra allata, τας διοριστικας nominum reor, quibus suffiguntur, sub iisque latere fortasse *cognomina*. Sed incommodat

addita S, si pro *Servo* accipiatur : insolens quippe, in marmoribus nostris *Servos* sigla huiusmodi indicari. Anne M stet pro *Molario*, T. pro *Turario*, aut *Tubicine*, ut primus sit Sittii *Molarii substitutus* : medius, ac postremus, alter Sornii *Turarii*, vel *Tubicinis*, alter Volusii item *Tubicinis*, vel *Turarii*, *substitutus ?* Ad rem Ovidius (1) :

Da mihi tura, Puer, pingues facientia flammas.

Sed in his, aliisve horum similibus, liberum per nos, nec sine gratia, cuique certiora, aut probabiliora afferre.

---

(1) *Trist. V.* 12.

10.

T
INVENTVS. DENAT. DAP.
FELIX. MELISSAEI. FAVST. *Aer. Chr.* 23.
NYMPHODOTVS. HELVI.
SPERATVS. CAESIAEMVS.

MIN. AVG. D. D. IVSSV.
M. HOLCONI. CELLI. L. AELITVBER. D. I. D.
C. VERGILI. SALINATORIS. CN. LVCRETI.
DECENTIS. VA. S. P. P.
C. ASINIO. C. ANTISTIO. COS.

Pompeis effossum nuper, idest an. 1823. mense Februario. Nota Consularis annum prae se fert tertium supra vicesimum Aerae Christianae. Ministri quinque priores Melissaei Fausti, Nymphodotus Helvii, Speratus, et Caesiaemus, Servi Aelii Tuberonis. Vergilius cum Aelio non D. V., sed ἁπλῶς V. A. S. dicti, quod et supra observatum, scrupulum omnem in posterum hac in re vel morosissimis abigat.

II.

. . . . . .

. . . D. D. . *Aer. Chr.* 26.

IVSSV
M. ALLEI. LVCCI. LIBEL
M. STLABORI. FRONToN
IIVIR. I. D. QVINQ
Q. POMPEI. MACVLAE
M. FVLVINI. SILVA*ni*
D. V. V. A. S. P. P
C. CALVISIO. CN. L*entulo*
COS

Ministrorum nomina desiderantur, nec divinationi locus, cui Deo, Deaeve Sacrum procuratum. To QVINQ. ad quintum Stlaborii Duumviratum esse referendum, palam est; quamobrem de vocis huius decurtatae vi, ad rem Pompeianam quod attinet, nullus praeterea ambigendi locus.

12.

. . . . .

D. V. V. A. S. *P. P. Aer. Chr.* 29.

A. PLAVTIO. *Asprenate. Cos.*

Refer ad an. V. C. 782. Aer. Chr. 29. et loco Consulum Suffectorum Q. Pomponii Secundi, et M. Sanquinii Maximi, ut vulgo in Fastis, redde *A.* Plautium, et L. Nonium Asprenatem, ut recte olim Norisius (1), cuius Manibus hoc e Pompeianis nostris sacrum lubentes animo.

(1) *Epist. Cons. p.* 402.

13.

PHILIPPVS. MELISSAEI
FAVSTI *Aer.Chr.*32.
IANVARIVS. PIRICATI
QVARTIONIS
IVCVNDVS. HOLCONI
ANTEROTIS
AVCTVS. HELVI
NYMPHODOTI
MINISTRI. AVC
IVSSV
M.LVCRETI. MANLIANI.L.ALBIENI. STAJ.D.V.I.D
L. EVMACHI. FVSCI. N. HERENNI. VERI. D. V
V. A. S. P. P

CN. DOMITIO. CAMILLO. ARRVNO
COS

Marmor unicum basi elegantissimae marmoreae adscriptum, quam Tiberii Statuae inservisse, Sejani coniuratione difflata, statim initio conieci, nec poenitendi ratio hactenus occurrit. Consule peculiare hac de re commentariolum nostrum vernacula oratione vulgandum. Marmori habenda gratia de alterius Consulis genuino nomine confirmato, et a Norisio olim bona alite restituto, quem Arruntium posthac, non Furium, certo certius noverimus. Ad eamdem aetatem refero, quod sequitur, et, praesentis ope, fidenter restituo.

14.

. . . ARRIVS *Aer. Chr.* 32.

*Her*ENNIVS

. . . ENDER

. . VITALIS

*Num*ISIVS. FELIC*io*. *Min. Aug.*

L. Staio. M. LVCRETIÓ. *D. V. I. D*

IVSSV

*N. Herenn*I. VERI. L. EVMACH*i*. *Fusci*

D. V. V. A. S. P. P

Ministri alii ab allatis paullo superius. In IIvirûm I. D. et V. A. S. nominibus recitandis consuetum το ὑσερον προτερον. Voti occasio alia fortassis a superiore.

15.

PHRONIMVS. MESSI FAVS†
PLACIDVS. VET. FRONTONIS *Aer. Chr.* 34.
A. ARELLIVS. GRAECVS
MIN. AVG. EX. D. D. IVSSV
. . . . . M. VESONI. MARCELLI
II. VIR. I. D
M. LVCRETI. EPIDI. FLACCI
PRAEFECTI
L. ALBVCI. D. LVCRETI. II. VIR. V.A.S.P.P
PAVLLO. FABIO. L. VITELLIO
COS

Abrasum de industria nomen prioris IIviri I. D., quem Tiberiano fulmine attactum censeo, deque Duovirali dignitate deturbatum. Hinc eidem suffectus Lucretius Epidius Flaccus, *Praefecti*, non *IIviri*, nomine insignitus. Tabulam hanc voti *nuncupatoriam* existimo: quae sequitur, ex hac iure restituendam, voti eiusdem *solutoriam* puto, adeoque de votis *extra ordinem* rem omnino esse. De Ministrorum Augusti numero, conditione, et ordine inter sese, nihil est, ut heic adiiciamus. Sed Taciti locus non omittendus, quo conficitur, *Ministeria* non perpetuo *Servorum* fuisse, *plerumque* etiam et *Libertorum*. Sic ille (1): *Hinc* (de Libertorum ordine) PLERVMQVE *Tribus*, *Decurias*, MINISTERIA *Magistratibus*, *et Sacerdotibus*. *Plerumque*, inquit, non *perpetuo*.

Huius gemellum, quod sequitur, censeo, quod Consules iidem, iidem utrobique utriusque generis Duumviri occurrunt, sine tamen consueto τῷ ὑστερῳ πρoτερῳ nominum. Quamobrem alteri

(1) *Annal. L. XIII.*

ex altero suppetias fero , eodem iure , quo paullo supra in re simili.

16.

Phronimus. Messi. Fausti
Placidus. Vetii. Frontonis
M. Arellius. Graecus *Aer. Ch.* 34.
Min. Aug. Ex. D. D. Iussu
M. Vesonii. Marcelli. D. V. I. D.
M. LVCRE*tii. Epidi. Flacci. Praef*
. . . *c*AESARIS
L. ALBVCI. CELSI. D. LVCRETI. VALENTIS
IIVIR. V. A. S. P. P
PAVLLO. L. VITELLIO. COS

Ad eamdem fortasse aetatem respiciunt duo, quae sequuntur , Fragmenta.

17.

. . . . .

. . . . .

I*us*SV

. . LI. CELERIS

. L*u*C*reti*. *fl*ACCI

. . *Vitell*IO. COS

18.

GRATVS. ARR. L

MESSIVS. ARRIVS *Aer. Chr.* 34.

INVENTVS

MEMOR. ISTACID

*Min. For*T. AVG. MERC. MAI*ae*

D. D. IVSSV

*M. Vesoni. m*ARCELL

D. V. I. D

M. Lucreti. Epidi. Flacci. Praef

L. Albuci. Celsi. D. Lucret. Valentis

II*vir. V. A. S. P. P*

Paullo. L. *Vitellio. Cos*

Non conditione, sed ministerii dignitate, Gratus Messius, Arrii Libertus, primum locum sibi vendicat, prae ministris caeteris *Fortunae Augusti*, qui *Servi* omnes.

19.

M. NAEVI . . .

. . . NAEVI . .

*mi*NISTRI. *Fort. Aug.*

D. D

. . .

. . .

. . .

20.

M. CINN*ius*

Q. TVLLIVS

D. V. I. D

C. NAEVIVS. M. F. C. MAM*mius*. *L. F*

D. V. V. A. S. P. P. EX. D. D

*con*STAT. HS. DC̄L

Restitutionis vadem do lapidem, qui sequitur, gemellum.

21.

Q. TVLLIVS. Q. F
M. CINNIVS. M. F
D. V. I. D
C. MAMMIVS. L. F. C. NAEVIVS. M. F
D. V. V. A. S. P. P
CONSTAT. $\overline{\text{HS}}$. $\overline{\text{DCLXXS}}$

Hunc germano, tempore, praeire crediderim ex eo, quod minus compendiosus.

22.

N. POPIDIVS. *Moschus*
CLARVS. CAEC*il*
. . . . . .
. . . . . .

Ad idem facile tempus pertinere dixeris, quo et sequens continctur.

23.

NARCISSVS. POPIDI
MOSCHI
NYMPHODOTVS. CAPRAS
IVCVNDI
MIN. AVG. *D.* D. IVSSV
P. VETTI. CELERIS. D. ALFIDI

In marmore proxime allato *N. Popidius Moschus* ministrorum tenere locum videtur: in hoc Ministris Augusti accensetur Narcissus, eiusdem Popidii servus, cum Nymphodoto, et Caprasio, servis fortasse Popidii Iucundi. Sacrum, decreto Decurionum, sancitum, sed P. Vettii, et D. Alfidii *iussu* peractum. Nulla tamen in marmore, alias integerrimo, nitidissimoque, dignitatis nota viris apposita, spatio licet superante. Anne Pompeianorum mos, votis *extra ordinem* nuncupatis, tabulas inchoare votivas, non tamen ex integro absolvendas, nisi votorum reis iam factis necessitas inderetur tabulas exarandi, quae de voti solutione essent? Id si detur, vota pro hac vice concepta quidem Pompeis, non tamen cum gratulatione soluta. Sed

fortassis privati homines, P. Vettius, et D. Alfidius, quorum *iussu* sacrum peractum, quod verius puto.

Si tabulam hanc cum relata n. 3. conferas, qua Ministros inter Augusti recitatur *M. Popidius Moschus*, coniectandi locus est, utrumque ad eamdem proxime respicere aetatem.

. . . .

24.

. . . .

. . CAESA . .

. . VG. V . .

. . MINIST. A . .

IV . .

Fragmentum ideo allatum, quod et Augusti Ministros ciet, cui addendum in rem eamdem, quod sequitur.

25.

TERTIVS
EPAPHRA
HABER
CITVS
ISTACIDIAE. L. F. MIN. AVG
EX. D. D
TI . . . .
. . . .

Occurrit in Pompeianorum lapidibus *Istacidia Rufilla*, Sacerdos publica, eademque N. Filia. Est autem huiusmodi.

ISTACIDIA. N. F
RVFILLA. SACERD
PVBLICA

26.

L. NVMISIVS. PRIMVS
L. NVMISIVS. OPTATVS *Aer. Ch. an.* 61.
L. MELISSAEVS. PLOCAMVS
MINISTR. FORTVN. AVG
EX. D. D. IVSSV

L. IVLI. PONTICI. P. GAVI. PASTORIS
D. V. I. D
Q. POPPAEI. C. VIBI. AEDIL
Q. FVTIO. P. CALVISIO. COS

P. Calvisium Rusonem exhibent Fasti Consulem Suffectum : de Collega silent, quem nunc primum agnoscere datur Q. Futium ad an. 61. De IIviris V. A. S. hic tacetur, ipsorumque vice, ut supra ad an. 29; Aediles prodeunt. Quamobrem, facile adducor, ut ad hoc tempus abolitos IIviros huiusmodi existimem, qui proprii, peculiaresque erant Octavii Augusti, ideoque sub quarta singularia A siglarum, de quibus hactenus, Augustum latitare.

Titulorum nunc, qui de genere eodem su-

persunt, reliquias cursim repetere est animus, quo clarius Lectori pateat, quam ampla olim Pompeis sacrorum eiusmodi extiterit seges, cuius partem aliquam latere hactenus rudera inter merito speres, maximam frustra desideres, ut facile cuique patet ex temporum hiatu in titulis huc usque prolatis.

27.

C. COI . . .

Q. LOLLI*us* .

FELICI*o* . . .

. . . .

. . . .

28.

N. POPIDIVS. AMPL*iatus*

L. CAECILIVS. CER*ealis*

SVAVIS. OPPI. OPT . .

. . ODVS . S : . . . T. . .

. . . . . .

Numerium hunc Popidium Ampliatum, Ampliati illius Filium arbitror, de quo ad basin statuae Marmoreae Pompeianae, Bacchum pelle caprina indutum cum tigri ad pedes referentis, sic:

N. POPIDIVS. AMPLIATVS
PATER. P. S

Et quando de Pompeianis iniecta mentio, pauca adnectere ne pigeat in titulum alium Pompeis item repertum, quod a Morcellio relatum doctorum opiniones ad vocem SEXS. in sententias e regione oppositas distraxit. Est autem huiusmodi:

N. POPIDIVS. N. F. CELSINVS
AEDEM. ISIDIS. TERRAEMOTV
CONLAPSAM
A. FVNDAMENTO. P. S. RESTITVIT
HVNC
DECVRIONES. OB. LIBERALITATEM
CVM. ESSET. ANNORVM. SEXS
ORDINI. SVO. GRATIS. ADLEGERVNT (1).

Lis est de voce SEXS, quam alii *Sex*, alii *Sexaginta* esse contendunt. Mihi quamquam SEXS, prae *Sexaginta*, arrideat magis, utrumque constare rectissime posse, arbitror.

---

(1) *De Stil. p.* 146.

Ecquid enim mirum, aut puerum sexennem, aut senem depontanum *adlectis Decurionibus* adnumeratum? C. Velleius, cum annum ageret quintum, equo publico ab Imp. Antonino fuit donatus. Caeterum *Adlecti*, *Ornamentariique* Decuriones hoc ab *Ordinariis* distabant, quod hi Decurionalibus officiis, honoribusque vere fungerentur, *Ornamentariis* ornamentorum dumtaxat Decurionalium ius erat, *Adlecti* utroque carebant, etsi privilegiis Decurionum cum *Ornamentariis* fruerentur, et *Honorarii* quoque ἁπλᾶς dicebantur. Vid. Guther (1).

29.

. . . .

HOLC*on*

MINI*stri* . . .

. . . TRO . . .

. . .

. . .

. . .

(1) *Off. Dom. Aug. p.* 45.

30.

PHILA . .

. . . .

. . . .

. . . .

. . . .

31.

T

COMMODVS. SRON

MENOPHIL. ANCARS

FELIX. HELVI

*Plac*IDVS. ARRI

SACR

. . . .

. . . .

. . . .

32.

. . . .

. . . .

*Min. Fo*RTVNA*e. Aug.*

III. PR

IDI N

. . .

33.

L. CEIVS. DORYP*horus*

CN. ALLEIVS. *L*

ALEXAND*er*

MI. . . .

M . . . .

. . .

. . .

. . .

1. Siglas igitur Pompeiorum ἰδιωτικὰς D. V. V. A. S. P. P., si certam illarum aetatem spectes, quam ex notis Consularibus colligere datur, Augustaea intra, Tiberianaque tempora concludi, palam est, *Ministrosque Augusti*, quod Octavio adhuc vivo, in medio se dent, nihil cum Augustalibus commune habere. Inde ducta coniectura, sub quarta initiali A Augustum latere potius, omnesque sic continenter reddi posse:

Duumvir. Votis. August.' salvo. Pompeis. procurandis.

2. Quod si alibi, praeter Pompeiorum tabulas, easdem offendere forte fortuna fiat, non abnuerim, hoc, vel simili modo exponere:

D. V. Vot. ad (vel *annuis*) *Salut. public. procurandis.*

Salvo Augusto, *Salvis Augustis*, tritae admodam formulae, vulgatissimaeque, quarum in cumulandis exemplis nil opus, ut Lectorem fatigemus; cui facile per occasionem in mentem venerit Phedriani illius: *Salvo Principe.*

3. Marmora proinde haec Pompeiana universa *Votivis*, *sacrisque* esse adnumeranda, quo-

rum pars fortasse *annua*, non pauca *extra ordinem* sine dubio vagantur.

4. Ad haec: *Ministros* contra Fabrettium evicimus, haud perpetuo intra Servorum stetisse familias, quorum bene multi Libertos se, aut de Libertino genere probant.

5. Duumviros praeterea V. A. S. alios a Quinquennalibus extitisse, ipsorumque munus, plane sacrum, ad annum perdurasse. Ordinarios eosdem Votorum fuisse Duumviros, nihilque obstare, quominus ad ipsorum Sacerdotium vota quoque pertinuerint *extra ordinem* pro *Augusti*, sive pro *publica salute*.

Gratiam longe maiorem a Pompeianis Tabulis Fastos inire Consulares. Nam inde discere datum:

6. Cluvii Collegam ad annum nonum supra vicesimum ante Aer. Christ. fuisse P. Clodium.

7. Ad annum item nonum supra vicesimum Aerae Christianae, Consulibus Q. Pomponio Secundo, et M. Sanquinio Maximo, ut vulgo in Fastis, substituendos Aulum Plautium, et L. Nonium Asprenatem.

8. Camillo, Cn. Domitii Collegae, ad an. Aer. Christ. 32. Arruntii, non Furii, nomen adhaesisse.

9. P. Calvisii Rusonis ad an. 61. Aer. Chr. Collegam extitisse Q. Futium, quod hactenus ignoratum.

10. *Ministri Fortunae Augusti* iam inde ab anno nono supra vicesimum ante Aeram Chr. in Pompeianis Tabulis conspicui sunt: *Ministri* vero *Augusti* triennio vix Aeram eamdem praevertunt. Quocirca, quantum e Tabulis nostris colligere datum, priores illi hos anteeunt solido annorum viginti sex intervallo.

11. Certa demum siglarum omnium tempora, nec ultra alterum ante Aer. Chr. annum adsurgunt, nec infra tricesimum quartum aerae Chr. provehuntur.

FINIS.